


## † R. P. Alfridus Menth (1889-1950)

*(Prov. Balt.)*

De sua origine defletus P. Menth pridie kalendas Februarias 1938 Moderatori Analectorum haec scripsit: « Pater meus, iam defunctus, erat Helvetius ex Mumliswil, cantonis Solothurn, et defuncta mea mater ex Marpingen Borussiae Rhennanae, circuli Sankt Wendel, haud adeo procul, ut mihi videtur, a vetusta civitate Augustae Trevirorum. Ante septuaginta vel plures annos Mater Dei in Marpingen apparuit <sup>1</sup>, quo tempore mater mea erat puellula, et saepenumero nobis de hac apparitione loquebatur. Una ex tribus puellis, quibus cara Deipara apparuit, erat meae matris consobrina, quae postea Religionem ingressa est ». Haec P. Menth.

Fructus illius matrimonii inter iuvenem Helvetium et virginem Germanam

fuit Alfridus noster, natus Neo-Eboraci 5 Apr. 1889. Mature vocatus ad nostrum Institutum, suam formationem recepit via ordinaria in iuvenatu North East, in novitiatu Ilchester (professus 2 Aug. 1910), in studentatu Esopus (ordinatus 10 Iun. 1915) et in secundo novitiatu Annapolis.

Per biennium (1917-19) laboravit in Missione Portoricensi, deinde in variis paroeciis Provinciae matricis. Per amplius duodecim annos addictus erat operi missionum paroecialium, et erat missionalis eminens, qui suos sermones accurate elaboratos pulchra voce dignoque gestu pronuntiabat. De nullo argumento libentius loquebatur quam de oratione et de B. M. V., ergo de duobus thematibus vere Alfonsianis. Concionum Marialium possidebat copiam inexhaustam. Ipse nobis in illis litteris confitebatur sibi

<sup>1</sup> Prima talis apparitio ante 75 annos, 3 Iul. 1876, saeviente persecutione Bismarckiana, accidisse fertur, at hucusque approbationem auctoritatis ecclesiae competentis non est consecuta.

magno adiumento fuisse certos libros Germanicos nostri Patris Diessel necnon periodica *Prediger und Katechet et Chrysologus*.

Infirmirate cordis coactus apostolatu missionali valedicere, paucas, quae remanserant, vires dedicabat apostolatu calami, studens ope novi periodici Provinciae *Perpetual Help* devotionem in Perpetui Succursus Matrem et S. Gerardum propagare. Hunc in finem cotidie per multas horas videbatur vel audiebatur premere vectes suae machinae scriptoriae.

P. Menth erat bonus religiosus, excellens exacta Regulae observantia et spiritu orationis. Nullo die, quantumvis laboribus oneratus, omittebat almae Redemptoris Matri offerre obsequium Rosarii et coronae VII Dolorum. Affixus autem cruci gravis et diurnae infirmitatis, aetate nondum valde provectus, exempla dedit patientiae haud communis.

Aliquo modo vitae suae finem ominatus esse videtur; nam in funere P. Eugenii Mc Gillicuddy, novem annis se iunioris, dixit: « Ego eum mox secuturus sum ». Verum dixit; nam brevi post, varios ictus apoplexiae perpeusus, per menses iacebat in nosocomio Neo-Eboracensi; sed festo Nativitatis B. M. V. ad tranquillam domum Saratoga Springs eiusdem Status New York translatus est, ubi fer. VI 20 Oct. 1950 animam diurno martyrio purificatam Creatori suo reddidit.

Funebria sollemnia habita sunt in ecclesia Neo-Eboracensi Immaculatae Conceptionis, vulgo Bronx. Pl. R. P. Provincialis Ioannes Frawley Missam cantavit, et Adm. R. P. Rector Ed. Koch solitam obitus orationem pronuntiavit. Quae in Patre Menth mortalia erant, quiescunt in nostro coemetrio Esopus.

Bonus P. Alfridus non modo in effigie hic apposita, sed etiam in rerum veritate ex aeternitate nobis subrideat, nos autem eius animam Matri misericordiae, cui in vita tam devotus fuit, commendemus.

---